

Joannes Dantiscus orator apud cesarem

12
Magnifice et observandissime domine, commen-
dationem plurimam. Istæ sunt quas hac vic-
ce scribo ultima cum hac posta, instatque
iam tabellarius, qua de re, ut iam aliquoties
consuevi, cogor esse brevior, ex meis ad regi-
am et reginalem maiestatem omnia intel-
liget subinde que hic aguntur.

De negotio propter dominum Antonel-
lum dominationis vestre, à novissimis meis
de die decima quinta Novembris præteriti, quando
potui dedi operam, et hodie primum hic mi-
hi dominus Sigismundus Loffredus significa-
vit, quod commissum est fieri literas ad do-
minum Hugonem de Moncada, atque ad colla-
terale consilium, quod hic pars adversa facta
est contenta, ac cum illa concordatur, quod in-
dultum in persona magnifica dominationis ve-
stræ debet fieri, debetque die Venens futura cum
aliis in negotiis castri Barensis à cesare si-
gnari, speroque quod magnifica dominatio ve-
stra ea in re deinceps non est habitura diffi-
cultatem, quamprimum indultum hoc subscri-
ptum à cesare et sigillatum fuerit, subinde ad
dominum Scipionem de Summa transmittam, ve-
stræ magnificæ dominationi vel duplicatas, vel
exemplum earundem cum primis meis dabo.
Aliud hucusque non potui efficere, cum tamen

nihil

nihil cupiam ardentius, quam melius ma-
gnifica dominationi vestre inservire, et me-
am propensionem atque obsequium in illum
testatius reddere indices.

Quod reliquum est in hac temporis an-
gustia, commendo me magnificæ dominatio-
ni vestre plurimum, et rogo, in ea qua cœ-
pit erga me benevolentia perseveret, me sem-
per bonum fratrem atque servitorem habi-
tura. Datum ex Burgos civitate Castilia
die undecima Januarij, anno Domini 1528.